

Petrus de Vinea

*Ep. III 45 (Satis preclaros
alumpnos longe lateque diffuse...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 45 (Satis preclaros
alumpnos longe lateque diffuse...)*

1245-1249

Magna laudum preconia, de bonitate magistri Petri de Vineis.

1. Satis preclaros alumpnos longe lateque diffuse per orbem naturae pregnantis peperit uterus et plurimorum pectoribus partem suae fecunditatis infudit, sed preter communem opinionem omnium, in singulari subiecto congerens, quicquid contulerat uniuersis, magistrum Petrum de Vineis cunctis peperit clariorem. 2. Nec sine merito sic ipsum sua liberalitate ditauit, cum uirtutum congeriem personarum uarietas sepe confunderet, sententiarum erraret auctoritas et, iura prompta soluere, buccis lacerata domesticis, ordinarium iudicem non haberet. 3. Multum etenim, ut requiem quereret, sapientiae felicitis ingenium in giro celi et abissi profundo circumquaque uagauerat, sed in hoc demum sua fixit tentoria, in hoc sui motus circuitum limitauit, cum quo factum cor unum et anima una, in eo ferrum de terra transtulit et lapidem calore resoluit, ut quicquid esset terrena grossities in doctrinae substantiam uerteretur. 4. Per cuius namque uirtutis instinctum iustitia mortificata resurgeret et eclipsati iuris qualitas suae discretionis industria supplementa sentiret. 5. Qui, uelut nouus legifer Moyses de monte Synai, legum copiam concessam sibi celitus hominibus reportauit, ut quorum noxius appetitus, qui per lustra deuia oberrarat, ad iustitiae fabricam, qua imposita quaelibet diriguntur, eius luce preuia dirigatur. 6. Hic est siquidem alter Ioseph, cui, tamquam fideli interpreti, magnus ubique Cesar, de cuius potentia sol et luna mirantur, circularis orbis retia gubernanda commisit: qui tamquam Imperii clauiger claudit, et nemo aperit, aperit et nemo claudit; cuius eloquentiae tuba dulcisonans orationis uoce mellifluae audientium

corda demulcet, utpote cui quicquid erat sub pallio solis absconditum, preter clausi diuini libri septem signacula diuinus intuitus reuelauit. 7. Ipse est enim Petrus, fundatus in petra, ut ceteros fidei stabilitate fundaret et, sinceritatis stabilitate fundatus, foret aliis fundamentum. 8. Relictis quidem retibus, princeps apostolorum, Petrus ille piscator, nimirum secutus est Deum, sed Petrus hic legifer a sui Domini latere non discedit. 9. Curam gregis Dominici pastor ille curabat antiquus, sed iste nouus athleta iuxta latus summi principis uirtutes inserens et errores extirpans, in statera iustitiae ponderat quicquid dicit. 10. Galileus ille tertio Dominum sua uoce negauit, sed absit quod semel abneget Capuanus. 11. O felix uinea, quae felicem Capuam tam suauis fructus ubertate reficiens, Terram Laboris irradians, remotos orbis terminos instantia tuae fecunditatis irradiare non cessas! 12. A cuius stipite palmes non discrepans, tamquam a bono fusus nimio iudex prodiit Guillelmus, quem commendabiliter eius effectus laudabilem exhibet, eo quod habuit tam nobilissimum creatorem, et quem ornauit qualitas habitus, ipsum amictu decoris adornat. 13. Nam legis armatus peritia, Digesta digerit et Codicis scrupulositates elimat, dum in quadrigis sedens Imperii, superemergentes quoslibet casus et causas in libra iudicii quotiens ponderat et appendit, totiens eos dirimit et decedit. 14. Qui, si ueritas sub nube non lateat, quae uidentibus non celatur, angelum se fore sanctum lucidius representat. 15. Haec fuit itaque uinea, quam philosophiae manus multo sudore plantauit et coluit, ipsam suae irriguitatis amenitate fecundans, in qua tabernaculum eruditionis erexit, ut ex eo mentes indoctae doctrinae reciperent spiritum et ex eius fructu mellifluo biberent sitientes. 16. Haec est uinea,

cuius radices grandis aquila in terra negotiationis de Libano asportatas secus decursus aquarum cum diligenti prudentia transplantauit; ad cuius uirtutes eximias explicandas etiam lingua Tullii laboraret. 17. Ne forsán balbutiens in prosequendo deficeret et, sic displicendo, placeret, telae finis imponitur, quam stupendo contexuit Nicholas.